

publicum aliquando bonum amplificare statuit, 'usum possit praestare. Sic, rebus bene deliberatis, certam tenebit uiam peregrinator, suique memor instituti, in agendo discendoque ubiuis sibi constabit, pro dementia reputans, in tanta uitae breuitate superuacaneis immorari, cum necessaria uix possint pernosci. (c)

REGVLA III.

Cognita peregrinationis caussa, instituendum est sui examen, quo, quid facto opus sit, plane intelligatur.

EXPOSITIO.

COgnitionem sui adeo necessariam omni tempore duxerunt uiri sapientiores, ut eam et libris, ex instituto scriptis, docere, et, tanquam uerioris philosophiae ianuam ac portam, quin omnis sapientiae fontem et caput, commendare sustinuerint. (a) Propterea peregrinaturus etiam

(c) Eo magis utique indignor, aliquos ex hoc tempore, quod sufficere nec ad necessaria quidem potest, etiamsi custoditum diligentissime fuerit, in superuacua maiorem partem erogare, inquit SENECA in epist. 49.

(a) Fecerunt hoc GERHARD. IO. VOSSIVS in lib. de cognitione sui, edit. Argent. 1709. DIODORVS TVLDENVVS in tractat. de cognitione sui cum dissertatione praeliminari Venerandi Dn. BVDDDEI, edit. Ienae 1706. BERNARD. LAMYVS in lib. gallico, l' art de se connoître soi même, a Paris 1694. IACOB. ABADIE dans l' art de se connoître soi même, a la Haye 1705. Suam quoque Ethicam nosce te ipsum inscripsit ARNOLDVS GEVLING. eodem fere modo, ac Theologus Anglus, DANIEL DYKE, suum Mystery of self deceiving, anglice proditum Londini 1614. et germanice Francof. ad Moen. 1652. AGAPETVS

in